



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II

**EPISTULA DATA**  
**PAULO SRE CARDINALI POUPARD,**  
**PRAESIDI PONTIFICII CONSILII DE CULTURA**

*Venerabili Fratri Nostro*

Paulo S.R.E. Cardinali Poupard

*Praesidi Pontificii Consilii de Cultura* Laetabundum sane animum exhibet populus Aureliacensis ac potissimum universa ecclesialis communitas Sancti Flori quandoquidem proxime millennium explebitur ex quo Gerbertus, filius illius populi, monachus, episcopus sedium Remensis et Ravennatensis, ad Summum Pontificatum sub nomine Silvestri II ante CMXCIX annos est euectus. Hic quidem Pontifex, primus ex Francogallia hac dignitate praeditus, humaniores litteras, scientias, doctrinam ecclesiasticam et politicam coluit, ad utilitatem Ecclesiae sui temporis plurimum conferens. Ad hanc colendam memoriam dioecesis Sancti Flori studiorum sessiones apparat sacrosque ritus inter dies IX et XI proximi mensis Aprilis Aureliaci peragendos, quibus aliquot clarissimi professores ex diversis Studiorum Universitatibus nec non sacri praesules intererunt. Quo enim commemoratio haec sollemnius ac magnificentius celebrari posset, Venerabilis Frater Renatus Séjourné, Episcopus Sancti Flori, a Nobis postulavit ut virum ecclesiastica dignitate constitutum, ad personam Nostram gerendam, illuc mitteremus. Vota igitur excipientes illius Praesulis, Nostram convertimus mentem ad te, Venerabilis Frater Noster, quem ob peculiare ministerium tuum omnino parem idoneumque iudicavimus ad eiusmodi officium luculenter explendum. Itaque, fraterna permoti affectione, *MISSUM EXTRAORDINARIUM* te renuntiamus ad huiusmodi mille annorum anniversariam recordationem celebrandam. Pro Nobis scilicet adsistes, quin immo et sacris praeeris ritibus; benevolentiam Nostram testaberis erga florentem illam ecclesiam communitatem omnesque inibi adstantes; sermone tuo Nostram ad mentem illustrabis, ut olim Silvester II fecit, momentum referendi culturam et humanas scientias ad christianam fidem, "ut altius perspiciatur quomodo fides et ratio in unum verum conspirant" (*Declaratio de Educatione Christiana*, GE 10). Magna quidem spe fore confidimus ut illa in urbe, quam coniunctissimam quidem habemus, omnes adstantes ex studiorum conclusionibus nec non ex eucharistica participatione, spiritale capiant usque subsidium ad christianam vitam magis in dies provehendam. Denique tibi, Venerabilis Frater Noster, cunctis praesulibus, magistratibus, professoribus, universo clero ac fideli populo tam faustum eventum participantibus, Benedictionem Nostram Apostolicam, caelestium donorum pignus Nostraeque benevolentiae testem, veluti ibidem praesentes libenti animo dilargimur. *Ex Aedibus Vaticanis, die X mensis Martii, anno MCMXCIX, Pontificatus Nostris primo*

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana